[Vinzenz Staufer]: Catalogus codicum manu scriptorum, qui in bibliotheca monasterii Mellicensis O.S.B. servantur I
Melk, 1889 Seite XI
Quelle:
Copyright:

culis modo minusculis summa sollertia deauratis atque colore vario cum artificio distinctis libros nitidissime scriptos illustrabant atque exornabant.

Florentibus patriae rebus res monasterii floruisse profecto non mirum; sed altera XV. saeculi parte cum ex factionum publicarum contentionibus, ex seditionibus in principes factis, ex bellis Austriae in Hungaros et Bohemos gestis, ex latrociniis militum mercenariorum hanc terram vastantibus, quibus cives inter se discordes pessime vexati atque summa rerum inopia pressi sunt, turbulentae in civitate tempestates essent exortae: in hac tamen et tanta temporum iniquitate studium litterarum in hoc monasterio sub Joanne IV. (ab anno MCCCCLIII—MCCCCLXXIV), Ludovico III. (MCCCCLXXIV -MCCCCLXXX), Augustino (MCCCCLXXX-MCCCCLXXXIII), Wolfgango I. (MCCCCLXXXIII—MCCCCLXXXXVII) abbatibus liberalioris humanitatis atque eruditionis cupidissimis avidissime colebatur, ita ut cum multi tum maxime Theobaldus de Vienna, Joannes Ysenhut, Leonardus de Feldorff, Erhardus Geutt de Weydhofen litterarum, quae in nostris codicibus continentur, doctrina excellant. Sub abbate, quem ultimo loco posuimus, anno MCCCCLXXXX libri missales, Norimbergae in officina Georgii Stoechs de Sulczpach typis excusi, quorum duo in nostra bibliotheca exstant, pecunia comparati in nostrum monasterium translati atque in communem omnium usum conversi sunt; quae res memoria dignissima codicum MSS. editionem hoc anno absolvendi occasionem opportunissimam nobis obtulit. (cf. Keiblinger, l. c. I. 640, 672, 695.)

Haec hactenus in universum de bibliothecae nostrae codicibus MSS. praemittenda putavimus; quae sequuntur ideo adiecimus, ut hic catalogus maiore facilitate et commoditate